



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*OCULOS NOSTROS*TEMPLUM DEO DICATUM IN
HONOREM BMV SUB TITULO «VIRGA JESSE»

IN DIOECESI HASSELETENSI AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Oculos Nostros ad Redemptoris Matrem attollentes, quae cunctis Christifidelibus tamquam exemplar virtutum praeifulget, libenter quidem occasionem capimus Marialem cultum diffundendi atque sacras in toto orbe aedes nomine Virginis Mariae honestatas exornandi. Ideo, cum Venerabilis Frater Paulus Schruers Episcopus Hasselensis, cleri populique vota interpretatus, rogaverit ut templum Deo dicatum in honorem Beatae Mariae Virginis sub titulo «Virga Jesse» in dioecesi Hasselensi situm, ad dignitatem Basilicae minoris eveheretur, petitioni libenti animo obsecundare volumus. Itaque de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, statuimus ut sacra illa aedes ad titulum ac dignitatem Basilicae minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt, secundum Decretum «De titulo Basilicae minoris», die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum. Contrariis quibusvis non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Maii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.* ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana